

## ECLOGA I

- T. Ante leues ergo pascentur in aethere cerui  
et freta destituent nudos in litore piscis, 60  
ante pererratis amborum finibus exsul  
aut Ararim Parthus bibet aut Germania Tigrim,  
quam nostro illius labatur pectore uultus.
- M. At nos hinc alii sitientis ibimus Afros,  
pars Scythiam et rapidum cretae ueniemus Oaxen 65  
et penitus toto diuisos orbe Britannos.  
en umquam patrios longo post tempore finis  
pauperis et tuguri congestum caespite culmen,  
post aliquot, mea regna, uidens mirabor aristas?  
impius haec tam culta noualia miles habebit, 70  
barbarus has segetes. en quo discordia ciuis  
produxit miseros: his nos conseuimus agros!  
insere nunc, Meliboee, piros, pone ordine uitis.  
ite meae, felix quondam pecus, ite capellae.  
non ego uos posthac uiridi projectus in antro 75  
dumosa pendere procul de rupe uidebo;  
carmina nulla canam; non me pascente, capellae,  
florentem cytisum et salices carpetis amaras.
- T. Hic tamen hanc mecum poteras requiescere noctem  
fronde super uiridi: sunt nobis mitia poma, 80  
castaneae molles et pressi copia lactis,  
et iam summa procul uillarum culmina fumant  
maioresque cadunt altis de montibus umbrae.

## ECLOGA II

FORMOSVM pastor Corydon ardebat Alexin,  
delicias domini, nec quid speraret habebat.  
tantum inter densas, umbrosa cacumina, fagos